



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Æternæ Ex Prima Hebdomade Asceseos
Jgnatianaè Petitæ**

Vogel, Matthäus

Constantiæ, 1731

Oratio præparatoria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60667)

suo Angelus Custos : *Muta statum vita! muta mores!* Idem dico, quod S. Hieronymus cuidam studioso aliàs tibi devoto : *Vide ignes Tartareos : hi te expectant, si non ocyus convertaris.* Dico tibi, quod Angelus Lotho : *Festina salvari! salva animam tuam!* Dico, quod Deus : *Convertere!* Ecce dies salutis ; Deus offert gratiam, paratus te suscipere in gratiam. Quis scit, an unquam hanc tibi oblaturus sit, hoc si tempus negligas. Vindictam parat, si conversionem differs. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit,* ait David Psam. 7. Horrendum est incidere in manus Dei Judicis : ergo in paternos ejus amplexus est redeundum : agenda pœnitentia : vita emendanda : Deus reconciliandus : animæ salus in tuto locanda. An enim te sponte damnare statuis? an vivere hostis Dei perseverabis? *Obsecramus pro Christo,* ajebat Apostolus, *reconciliamini Deo.* Obsecro te pro Anima tua : eripe eam præsentis salutis periculo. Obsecro te pro Deo : reconciliare huic, antequam irrevocabilem ferat damnationis sententiam. Tuimetipsius miserere, & dum tempus habes, operare bonum. *Dedimus corpori menses & annos : demus animæ dies. Vivamus Deo paululum, qui saculo viximus totum.* S. Pet. Chrysol.

Oratio.

OMnipotens, sempiternæ Deus, ô quanta est tuæ erga me bonitatis dignatio! Creaveras

ras me, ut tibi servirem in vita hac, & salvus aliquando fierem: debebam tempus omne, omnem vitam tuo unius donare obsequio, & animæ meæ. Et eheu! oblitus finis mei, quam vitam vixi? quid feci hætenus? Confundor & erubesco, Domine, dum hinc vitam meam, illinc bonitatem tuam respicio. O mira circa me tuæ pietatis dignatio! O inæstimabilis dilectio Charitatis! Rebellem, quem damnare millies poteras, sustinuisti ad hunc usque diem, quin & media offers saluberrima. O Deus! O bonitas immensa! cur te unquam offendi? cur serò ad eò cognovi? Laudent te, Domine, creaturæ omnes pro inenarrabili hoc beneficio, quod mihi concedis: Ecce paratum cor meum, ô Deus: exoscuor clementiam tuam: oblatam mihi occasionem amplector. Stertebam hætenus in peccatis meis, immemor periculi, in quo versatur anima mea. Nunc, Domine, tempus est, ut expergiscar & surgam; tempus, ut me tibi conciliem. Hoc ipsum jam agam: dies sequentes negotio animæ meæ dabo: non patiar me distrahi occupationibus aliis, nisi maxime necessariis: horas omnes Considerationibus, & Examini impendam, ut sincerâ factâ Confessione totum me ad te, ô mi Deus, convertam. Tu misericors Deus, largire gratiam, ut dies hos sic exigam, ne illorum me aliquando pœniteat. Deus in adiutorium meum intende, ut, quod faciendum mihi esse cognovi, animosè per gratiam tuam aggrediar & perficiam.

Pro

Pro felici successu hujus negotii ora: Veni Creator Spiritus: Litanias de omnibus Sanctis, & præcipuâ quadam devotione Lauretanis de B. Virgine. Ordinem diei, quem observare possis, confice, sic ut manè præter horam Considerationis, des etiam horam examinandæ conscientiæ; tantum item à prandio: interponens hinc inde preces vocales Rosarii, Officii Mariani, auditionem Missæ &c.

Consideratio I.

De fine hominis à Deo creati.

Antequam eam incipias, recita orationem hanc:

O Beata Trinitas, unus Deus, miserator longanimis & multum misericors, in cujus conspectu sum prostratus; loquar ad Te Dominum meum, & audiam, quid loquaris ad me; cum sim pulvis & cinis, indignus conspectu tuo propter innumera peccata mea, de quibus doleo. Nihil sum, nihil possum ex me, in te verò omnia. In manibus tuis sum: tu mecum fac hac horâ, & in æternum, sicut scis & vis, modò gratiâ tuâ nunquam destituar. Trahe, accende & illumina me ad amandum & glorificandum te: attentè & devotè orare jubes; da quod jubes, & jube, quod vis. O Pater Sancte; tibi consecro memoriam meam: reple illam cogitationibus sacris, roburque in
cis